



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**De Honore, Dignis Vel Indignis, Jvste Vel Inivste, Deo  
Semper Jvstissimo, Dato, Negato, Violato**

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1650**

§. 2. Cur Deus gloriam à nobis expetat?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48689](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48689)



stere, conscribere aliquid & lectitare, ut honorem dijs habeant, & dignitatibus eos faciant ampliores? Quam artem Ethnici non habuerunt, habent autem, & didicerunt à S. Paulo Christiani, quorum tota vita Deo est consecrata. Quin etiam Iudæi habuerunt. Ita enim legitur: *Iudas verò, & qui cum eo erant, innocato Deo, per orationes congressi sunt: manu quidem pugnantes, sed Dominum cordibus orantes, prostrauerunt non minus triginta quinque millia, presentia DEI magnifice delectati.*

2. Mach.  
15. 26.

## §. II.

*Cur Deus gloriam à nobis expetat?*

2. Corollarium & illud ducitur, Deo non solum deberi honorem ac gloriam, sed etiam Deum (etsi nostra gloria non egeat) & jure, & sine omni vitio gloriam à nobis expetere. Si enim gloria virtuti debetur, debetur ea utique summæ virtuti. Hinc apud

Malach. 1. Malachiam ait: *Filius honorat patrem, & seruus dominum suum; si ergo Pater ego sum, ubi est honor meus? & si Dominus ego sum, ubi*

Psal. 28. 2. *est timor meus?* Quod & Dauid jubet: *Afferre Domino gloriam & habuerem, afferre Domino gloriam nomini eius.* Et humilis corde Christus laudantes se laudauit cum diceret:

Vos



Vos vocatis me Magister & Domine, & bene dicitis. Periculosum est quidem sibi place- re, sed illi, cui cauendum est superbire, vt ait S. Augustinus, non illi, cui vndequaue excellentissimo signa, vel testimonia excellentiæ debentur. Quòd autem Deus à nobis gloriam suam expetat, non est aliquid inordinatum. Ille enim, qui super omnia est, quantumcumque se laudet, non extollit se. Quamquam hoc ipsum jus honoris, quod habet, non propter suum, sed propter nostrum bonum expetit. Nobis enim prodest, Deum nosse, non illi. Quis autem eum cognosceret, si non se ipsum indicasset, qui nouit? Non potest autem se ipsum indicare, nisi laudando. Est enim *magnus Dominus, & laudabilis nimis*. Etsi ergo se laudet, & gloriam suam quærat, & postulet, non quærit tamen illam propter se, quasi ea indigeret; sed propter nos, vt nos eâ cognitâ in amorem illius exardescamus, eumque amantes ad veram æternamque gloriam perueniamus; juxta illud: *Affer filios meos de longinquo, & filias meas ab extremis terra. Et omnem, qui invocat nomen meum, in gloriam meam creauit eum*. Quid enim est gloria Dei æterna, nisi clara eius cum laude notitia? per

Ioan. 13.  
13.  
S. Augu-  
stin. in Io-  
an. tract.  
58.

Psal. 47. 2.  
95. 4. 144.  
3.

Isa. 43. 6.  
Vide in-  
fra cap.  
27. §. xiv.  
De Deo  
honoran-  
do,



quam si eum ut laudabilem cognoscimus, accendimur ad eum amandum, ei que serviendum, quibus rebus finem nostrum æternamque beatitudinem voluit nos adipisci.

## §. III.

*Quo modo nos, imitatione Dei, possimus gloriam expetere?*

3. Hinc aliud corollarium sequitur, tunc scilicet in nobis quoque non fore peccatum appetitum gloriæ, si in eo appetitu
- Ephes. 5. 1.** *velimus Deo assimilari, juxta illud: Estote imitatores Dei, sicut filij charissimi.* Assimilamur autem Deo, non quando id nobis arrogamus, quod est proprium Dei, excellentiam scilicet illius appetentes, aut eius testimonium, quæ soli Deo competit dicenti:
- Isa. 42. 8.** *Gloriam meam alteri non dabo; sed si quemadmodum ille gloriam ab hominibus quaerit, non propter se quasi ea indigeat, sed propter homines; ita & nos vicissim gloriam quaeramus, non propter nostram, sed propter Dei gloriam, aut proximum, eiusque utilitatem.* Hinc est illud: *Videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui incalis est.* Itemque, *Luceat lux vestra coram hominibus.* Quapropter non peccat, si quis bonum suum cognoscat, & approbet, cum
- Math. 5. 16. ibid.**
- 1. Cor. 2. 10.**
- Apo-